



**B**runo filius fuit Luitholphi ducis in superio  
ri Saxoniam. Nam inferiorem maiori ex par-  
te, Cæsarum iussu, Episcopi administrabant. Is  
post patrem ob plurimas corporis & animi vir-  
tutes Saxonum dux constitutus est, Anno Chris-  
ti octingentesimo sexagesimo. Hic in Saxoniam  
loco opportuno uicum condidit, qui paulatim  
incrementa sumens in celeberrimam urbem eu-  
sita, quam Brunsuicum tanquam Brunonis uicum  
hodie appellamus. Huius Brunonis tempore Ce-  
fares & Francorum reges omnia bellis ciuilibus  
miscebant. Itaque Nordmanni ea occasione in  
Germaniam irruptentes Christianos perseque-  
bantur, ac omnia longe lateq[ue] foede populabantur. Hisce sese Bruno magno  
animo opposuit, atque cum uicinis Episcopis ipsis obuiam profectus est. Un-  
de cruentum prælium cum Nordmannis initum. Verum cum crudelis hostis  
multitudine superaret, pius dux cum omnibus suis miserè trucidatus fuit. Adeò tum Christianorum membra à paganis foede mutilata fuere, ut post eo-  
rum abitum neq[ue] principes nec episcopi suis uestibus spoliati, à gregarjis mi-  
litibus dignosci poterant. Itaq[ue] omnes in idem sepulchrum conditi fuerunt.  
In Brunonis uero locum Otto eius frater dux constitutus. Albertus Cran-  
tzius in Saxoniam libro 2 capite 31.